



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Io. Baptistæ Portæ Neapolitani Magiæ Naturalis Libri
Viginti**

Della Porta, Giambattista

Frankfurt, 1607

Quomodo diuersa ignaria parentur. Cap. I.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70772)

muti compositiones, tubas igniuomas, & lethales; ignes inextinguibiles, sub aquis furentes, immo in imi ipsis, quasi cuniculis effosis maxima oblectantium flammaram violentia, maria debiscere, in astra extolli, vt portentoso absorptu mergantur nauigia. Volantes pilas corusco igne equitum turmas terrentes, prosternentesq; vsque adeo vt ad perennes ignes deueniamus.

Quomodo diuersa ignaria parentur. CAP. I.

FORUITO euenisse narrat Vitruuius, quod diuersę arbores, crebraq; ventis, & tempestatibus excitata, attritu valido ramos terentes, collisis inter se partibus, & rarefactis calorem euocauerint, & ignem excitarint, vnde magna successit flamma. Efferati, & agrestes homines inde perterriti terga fugę dedere. Sic iam sepita flamma, propius quum accessissent, & magnam inde humanis corporibus perpendissent accedere commoditatem, ignem conseruabant, sic vrbauitatis, consuetudinis, & sermonis causas prębuisse. Plinius ait militum & pastorum fuisse inuentum. Exploratorum hoc vsus in castris, pastorumque repperit, quoniam ad excutiendum ignem non semper lapidis occasio est. Docet Theophrastus quęnā ligna sint vsui accommodata: & quanquam terebrum, & conceptaculum ex eodem fieri nonnunquam eueniat, tamen ex vno, quod agat, atque efficiendi vim retineat, ex altero verò, quod patiatur, ex molli vnum, ex forti alterum faciundum censet. Exemplo

Ligna, qua attritu ignem concipiant,

Sunt quę maximè calida, vt laurus, rhamnus, ilex & tilia: Mnestor vero morum addit, & coniecit, quod ascias illico retundant, & hebetent, ex his omnibus terebrum faciunt, vt attritu acrius resistent, & pertinacius opus expediant, cõceptaculum vero ex molli, vt hederā, atragena, siue syluestri vite, & similibus arefactis, &

penitus humore omni exinanitis. Olla vt inepta reijci-
tur, pinguiori materia, & immodico humore referta.
Ad summum ea deteriora ad ignarium vsum veniunt,
reijciunturque quæ vmbrosis, contectisque locis affur-
gunt. Ab eo Plinius. Teritur lignum ligno, ignemque
concipit attritu, excipiente materia aridi fomitis, fun-
gi vel foliorum facillimè conceptum. Sed nihil hederæ
præstantius, quæ teratur lauro, laurumque terat. Proba-
tur, & vitis syluestris alia, quam labrusca, & ipsa hederæ
modo arborem scandens. Nos autem sic commodius
expedim⁹. Teratur laurus lauro, vehemētēque mouea-
tur: nam illico fumum eleuabit, adiecto minuti sulphu-
ris momēto, fomitem admoucas, vel arida nutrimenta,
quæ ex materia parabis aridi fungi, foliorum exco-
cti velleris, circa tuſſilaginis radices reperi, ocius enim
ignem concipiunt, retinentque. Idem è hederæ ligni
cortice emundato, & sicco confecimus, & ferulam feru-
la confricando, vel quod præstantius est, fune super eam
celeriter moto. Indi occidentales bina ligna sicca simul
ligant, in fissuram virgam imponunt, quam manibus
contrario motu commotis circumuoluunt, & sic ignem
accendunt. At quum hominum mens raro in eisdem
reperitis subsistat, sed nouis reperiendis altius viam in-
uestiget, eius industria repertus est

Lapis ignem humido quouis excitans.

Huiusmodi faciendi ratio hæc est. Viii sulphuris, halie-
nitri repurgati par pondus, caphuræ duplum, viuz cal-
ci addantur, ac omnia mortario conterantur, vsque ad
eo tenuia, vt in auras euolare possint, simul striæe lin-
teolo deligata conuoluantur, testaceo vase clausa, super
illita argilla paleata feruenti Sole desiccet, figulorum
imponatur fornaci, quumque figlinum vas fuerit exco-
ctum, in lapidis duritiem coeunt, & rediguntur extra-
cta sicco loco vtenda reponantur. Hæc cursim confici-
entem lusi experientia, ab amicis factitatum haud du-
biè nouimus. Sed oportet olla ne respiret, nam combu-
ritur omne. Vidimus tamen sparsam aquam super vi-
nam calcem, & sulphure admoto flammam excitasse,
& py-

& pyrium pulverem inflammasse. Vnde fides præstari potest.

De igneis compositionibus, quibus maiores nostri vsi fuerint. CAP. II.

PRIVS QVA ad nostras ignium compositiones deveniamus, eas recensemus, quibus maiores nostri in navalibus prælijs, in expugnandis, & defendendis urbibus vsi fuerint. Ex Thucidide habetur, oppugnantibus Plataenses, quum nil machinæ proficerent, ad ignes confugerunt, quippe materiam falces circa muros conijcentes, iniectisque igne, sulphure, ac pice materiam incenderunt: vnde tantum flammæ exortum est, quantum nemo unquam ad tempus illud inspexit. Heron docet in comburendis mœnibus post perforationem ligna tædæ supponi debere, & sicca pice, sulphure erito, vna cum liquida pice, siue oleo peruncta succedi. Et alibi per vnam comburere docet. Fuit fictilis vna, sed laminis ferreis ex parte exteriori colligata, minutisque carbonibus plena, fundum versus forata, vbi follis immittebatur: nam quum ignes carbonibus susceperunt, comburunt, atque aceto, vrina, aut aliorum acrum superfusione muri confringuntur. Vegetius in navalibus prælijs combustibilia docet, vtiturque oleo incendiario, stupa, sulphure, & bitumine; ardentibus sagittæ, per ballistas in hostiarum navium alveis infiguntur, inunctisque cera, pice, & resina tabulas tot ignium fomentis repente succendunt. Subnectemus

Ignifera missilia, quibus utebantur veteres.

Malleoli describuntur ab Ammiano Marcellino teli genus, quod hac specie figuratur. Sagitta est cannea, inter spiculum, & harundinem multiforme ferro coagmentata, quæ in muliebris coli formam, qua nentur lintea flamma, concavatur, ventre subtiliter, & plurifariam patens, atque in alveo ipso ignem cum aliquo suscipit alimento, & sic emissa lentius arco inualido: arcus enim rapidiore actu extinguitur æstus incendiatorum, nec remedio vilo, quâ superiniecto pulvere, vel amurca conloquitur. Livijs. Alij cum ardentibus fecibus, alij flu-